B M P R

1 6 7 7

Joachim R: L: Floriani:

PRVDENTIA.

IVSTITIA

TEMPERA.

1.2.3.4.

FORTITVDO.

VANITAS.

VERITAS.

MVNDI LAPIS LYDIVS

SIVE

EMBLEMATA MORALIA

nobilissimi viri

D. ANTONII A BVRGVNDIA

quondam Archidiaconi Brugensis

in quibus

VANITAS

per

VERITATEM

FALSI

accusatur & convincitur.

Versibus illustrabat

AVRELIVS AVGVSTINVS

CLEMENS *Bruxellensis,*

Fr. Eremita Augustinianus.

Abr. à Diepenbeke delin.

ANTVERPIÆ EX ÆNEA TYPOGRAPHIA IOANNIS GALLE.

AMPLISSIMO ET CLARISSIMO

DOMINO

CASPERIO GEVARTIO I.C.

CÆSAREO REGIOQVE

CONSILIARIO AC HISTORIOGRAPHO,

VIRO IN OMNI ERVDITIONE MAXIMO

HVNC LIBELLVM L. M. D. C. Q.

IOANNES GALLÆVS

KALEND. IAN. ANNI M. DC. LXVI.



Anus *adest* Mundus, *Musarum ô magna* GEVARTI
Gloria, quem Falsi *crimine sisto reum.*
Nec minus ipse mihi timeo, ne vanus haberi
Incipiam, hoc quisquam si rude spectet opus.
Ille meas aliquid nugas tamen esse putabit,
Qui tibi non penitus displicuisse sciet.
Scilicet excoluit doctas quicunque per artes
Pectora, iudicium suspicit ille tuum.
Namque tibi à puero Latiæ fouere Camœnæ
Castalijs animum Cecropiæque iugis.
Fama tuum celebrans, nullum quod nesciat æuum,
Læta per Hesperiam nomen vtramque canit.
Pridem Cæsareis fulgent tibi pectora donis,
Et, FERNANDE, *tuis*, *&*, LEOPOLDE, *tuis.*

Iam tibi ſceptrigeri mittunt quoque munera REGES,
  HESPERIVS SOCER *hinc*, LILIGER *inde* GENER.
Ipſa ſui Pallas CHRISTINA *&* *Gloria ſæcli*,
  Martis Hyperborei filia, Pacis honos,
Baltica deſpectans dum Regna, ad mœnia Romæ
  Tendit, & ætherei limina ſacra PETRI,
Eſt dignata tuas Anuerſæ inuiſere Muſas,
  Aurato & meritum cingere torque latus.
Docta tuos paſſim miratur Gallia verſus,
  Et gravis eloquij flumina larga ſtupet.
Nam Maro, dum pangis felici carmina venâ,
  Ipſe tuo præſens creditur ore loqui.
Reſtituis (vitæ luſtris vix quatuor actis)
  Papinio *in* Siluis *nomen opuſque ſuum*.
Scyro iterum latitans, duce te, prorupit Achilles,
  Spreuit & Argolicas Thebais *alta minas*.
Dum tua prodirent primævæ Electa *iuuentæ*,
  Exhibita haud paucis eſt medicina libris.
Cuncta Vetuſtatis tu myſtica ſenſa recludis,
  Seu lapis hæc priſcus, ſiue numiſma tegat.
[a] *Ænigma id lepidum probat*, Ælia Lælia Criſpis,
  Sub quo delituit nomine tectus Amor.
Multorum ingenium vani torſere labores;
  Cui tamen id licuit ſoluere, ſolus eras.
Clamat id Auſtriacus *communi voce* Triumphus,
  (Poſt Norlingano parta trophæa ſolo)

Anuer-

[a] *Vide c.1.l.3. Electorum Geuart.*

Anuerſa pridem per te celebratus in urbe,
Dum ſacra [b] FERNANDVS *mœnia victor adit.*
Doctum opus! hoc magnam tibi famam vrbique parauit:
Et ſoli Inuidiæ diſplicuiſſe poteſt.
Fœdere perpetuo GALLIS *qui iunxit* IBERVM,
Pacifer *id mundo teſtificatur* Hymen.
Singula quid tentem memorare? putamine ſperem
Iliadem citius claudere poſſe nucis.
[c] *Prodeat ô tandem Cæſar* Pius Antoninus:
Profer & Auguſti *dogmata priſca* Sophi:
Socraticæ *vigeant te vindice* ſcita Senectæ:
Tollat & elatas Porticus alta Scholas.
[d] *Prodeat ipſe ſuo per te iam redditus æuo*
Manlius, *Auſoniæ Conſul, & Vrbis honos.*
Diſcute Scaligeri nugas, & ſomnia vani
Triſtani; tenebris eripe & Aſtra ſuis.
[e] *Prodeat illa Ducum,* Dintero *auctore, Brabantûm*
Hiſtoria, & patriæ iura reclude tuæ.

 Per-

b *Sereniſſ. Princeps* FERDINANDVS AVSTRIACVS, *Hiſp Infans Cardinalis, Belgarum & Burgundionum Gubernator.*

c *Imp. Cæſ.* M. Aurel. Antonini *Aug. libri* XII. Τῶν εἰς ἑαυτὸν, Ad ſeipſum, *ſiue* De ſui ipſius inſtitutione: *iam editioni parati:*

d *uti &* Fl. Manlij *Cos.* Aſtronomicon, *quem hactenus Eruditi omnes ſæculo Auguſtæo, ipſe Theodoſiano vixiſſe probauit in Papinianis Lectionibus cap.* VIII. *lib.* III.

e *Hiſtoria Ducum Brabantiæ, auctore* N. V. Edmundo de Dijnter, *olim quatuor Brabantiæ Ducibus,* ANTONIO I. IOANNI IV. PHILIPPO I. & II. (*cui cognomen* BONO) *Burgundiæ & Brabantiæ Duci à Secretis, &c. breuî (fauentibus Superis) prodibit* ex Bibliotheca Geuartiana *in fol. cum notis hiſtoricis.*

Perge, age: nam primæ tribuit tibi fama iuuentæ,
Vix sibi quod spondent improba vota senum.
Virtutis splendore tuæ, liuore maligno
Iam domito, meritas baccare cinge comas.
[f] *Quòd migret ad* Scaldim *per te facundia linguæ*
Ausoniæ, narrant ingemuisse Tibrim.
[g] *In Statuam* HENRICI *gemmantia carmina* MAGNI,
[h] Festiuosque Ignes *Sequana sæpe legens:*
Macte, ait, ô Vates! MAGNI *præconia* REGIS
Dum canis, extollit te quoque Regis honor.
Omen habent voces: nam te modò Cyrrha fatetur
Laurigeros inter sceptra tenere viros.
Ergo tuum his nomen sine pondus versibus addat:
Vt pretium à Regis nomine nummus habet.


Aurelius Augustinus Clement Bruxellens. Fr. E-remita Augustinianus, Gymnasio studiorum Præfectus Antuerpiæ, accinebat v. Kalend. Augusti. M. DC. LXV.

f *V. Cl.* Nic. Borbonius *Gallorum Poëtarum Princeps, & Græcarum litterarum Professor Regius, Epigrammate in* Electa Geuartiana, *Parisijs anno* 1619. *typis Cramoisy edita, sic inter cætera:*

Ecce nouos iuuenis Belgis instaurat honores
Ingenij clarâ iudicijque face.
Prodierit simul istud opus, dicetur habere
Non Tibris *Latias, sed modò* Scaldis *opes.*

g *Sylua in Statuam Equestrem* HENRICI MAGNI, *Galliarum & Nauarræ Regis, edita Parisijs Anno* 1617. *typis Nicol. Durandi.*

h IGNES FESTIVI, *Festo Diui Ioan. Baptistæ, Parisijs accensi, Anno* 1619.



EMBLEMA I.

Vſibus haud ullis ſervit ſubtilis Arachnes
Tela; ſed infeſtat dedecoratque domos.
Vtile ſic nunquam vani eſt ſubtile Sophiſtæ
Ingenium; aſt patriæ ſæpe nocere poteſt.

Propter nimiam ſubtilitatem inviſa eſt Palladi araneæ tela; uti et Sophiſtarum ingenium: qui ſimiles horologijs, à vero, quod profitentur, maxime aberrant; patriæ ſæpe, et ſibi pernicioſi.

Andreas Pauli fecit.

Ioan Galle excudit



EMBLEMA 2.

Quas patulo recipit defusas amphora collo,
Has iterum facili gutture fundit aquas.
Ne memori fidas menti, commissa reposcis?
Reddere, iam pridem quæ periêre, nequit.

Memoria, ut lati gutturis poculũ, facilè quod admisit, amittit facile: sæpe, ut perfidus quæstor, reddere illud negat, vel mali instar speculi, aliter repræsentat. Optima est, quæ mortis, quæ peccati, quæ Dei non immemor.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*



EMBLEMA 3.

Copia magna tibi nil famæ aut nominis addet,
Si malè disponas, Bibliopola, typos.
Copia verborum quemquā facit esse disertum:
His malè sed verbis utere, fama perit.

Characterum copia utilis est, si eâ rectè uteris; sin secus, noxia: sic verborum copia anceps est. qualis-qualis tamen sit, quo major, eò periculosior esse solet; maximè, si illi quàm maxime fidis.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*



EMBLEMA 4.

Ecce, procax mulier te linguâ et verbere multat,
Esse tamen coniux ſic tibi cara poteſt?
Tu lætus vegetum corpus nutrisq; fovesque,
Nec minus hoc animæ, quā nocet illa viro.

Inſanum eſt de rebelli conjuge gaudium. caro eſt animæ quasi conjux, contra quam rebellat aſsiduò. Stultè tamen a nobis fovetur, ut valeat: multis enim ſanitas noxia; utilisq; fuit infirmitas.

Andreas Pauli fecit.

Ioan Galle excudit.



EMBLEMA 5.

Cedit equus clavo, leo gallo, robora vermi,
Muri elephas, remoræ turgida vela ratis.
Ferreus ut carcer firmum eſt tibi corpus; et ipſum
Vincitur exiguâ conficiturque lue.

Agile et robuſtum corpus fortis adverſarius, firmus carcer, ab alijs rebus agilitate et robore vincitur; quæ tamen ipſæ infirmioribus cedunt. hominum fortiſsimus quisq; ab una febricula proſternitur.

Andreas Pauli fecit. — *Ioan Galle excudit.*



EMBLEMA 6.

Vana Gomorrhæi placuit tibi purpura pomi?
Frange cutem: eſt ater tota medulla cinis.
Quam modò miramur præſtanti in corpore formam,
In cineres vertet mors ſeniumque brevi.

Pomum Gomorhæum placet ſpecie, ſcatet cinere: placet humanâ ſpecie formoſa cuticula: ſed pulvis eſt, in pulverem mox abiturus. ſepulcra conſule: vel formoſiſsimorum cadavera te docebunt.

Andreas Pauli fecit. · *Ioan Galle excudit.*



EMBLEMA 7.

Ingentes umbras turrita palatia spargunt:
Nocte vides stellas; sole micante latent.
Illustri in patria reliquis præcellere rarum est;
Derogat illa bonis, detegit illa malos.

Vir illustris nihil à patria lucis accipit; obscurus etiam tenebras: in obscura patria hic melius lateret; ille emineret magis. Ad Solis radios hebet Lucifer: civitas illustris umbras parit.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit*




EMBLEMA 8.

Quid misera obstrictis volucris petis æthera pennis?
Libera nequaquam es, dum tua vincla trahis.
Liber es? et reges mala sors servire coëgit:
Tu scelerum subdis libera colla iugo.

Libera est hæc avis, nec libera: sic qui liber est homo, servus nascitur; et quidem peccati, ne dicam fortunæ: nulla enim non hora servituti obnoxia: nulla non subjacet peccatis anima.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*



EMBLEMA 9.

Sanguis hic eſt illi ſimilis, ſed ſanior ille:
Rex tamen hunc, illum ruſtica vena dedit.
Naſcitur è ſervis rex; regum è ſanguine ſervus:
Nobile dant ſanæ vitaque morſque genus.

Stultum eſt de Nobilitate, uti de ſanguine, certamen. Eò genus obſcurius eſt, quò vetuſtius; et ſeper aliena laus: nec tantum naſcendo, quantum vivendo; ſed maximè moriendo comparatur.

Andreas Pauli fecit.

Ioan Galle excudit.



VANITAS. VERITAS.



Bonum nomen Sæpè malum genuit.

EMBLEMA 10.

Fecerat hic nummus regis sub imagine fucū:
Fraus patet, infamem plaga pudenda notat.
Sic gravius probrum, detectâ fraude, malignos
Vrget, quò melior credita vita fuit.

Nomen bonum pecuniæ nocet, si falsa deprehenditur: ita nec bonum facit hominē opinio bona, sive aliena, sive propria; multò minus adulatio, vel fama posthuma: sed, si falsa est, gravius officit.

Andreas Pauli fecit. *Ioan. Galle excudit.*



EMBLEMA 11.

Innumeros gignet tibi caſeus undique vermes,
Quem validi affuſo perpluis imbre meri.
Nectareo quod nunc potu dapibusq́ ſaginas.
Corpus, erit nidus vermibus, atque cibus.

Si ſtultum eſt modico vino e caſeo vermes producere; inſanum eſt, patrimonium ſanitatemq́ prodigere in epulas omnis generis ſuper fluas, ut lautius e cadavere tuo vermes alas.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*



EMBLEMA 12.

Calcis ut extinguat cœcū calcarius ignem,
Hunc penitus gelidam ſuscitat inter aquā.
Sic vario potor quam ſedat ſemper Iäccho,
Aſsiduè madido ſuscitat ore ſitim.

Accenditur viva calx, ut extinguatur: ſic hodie omni modo et genere certatur, non ad extinguendam ſitim, ſed ad eam accendendam: maximè cum tabacū bibitur et vinū aduſtū.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*

VANITAS — VERITAS.



Splendidum conuiuium. — Omnia pompæ.

EMBLEMA 13.

Cernitis hoc quanto celebretur funus honore?
Nil tamen hæc animam pompa superba iuvat.
Nec potis est mensæ luxus vel regius auro
Argentóve, Midâ teste, levare famem.

Vt in magnifico funere omnia pompam spectant non animam: sic in splendido convivio, quod fastidii, querelas, obloquia, damna, parit; omnia famæ dantur, non fami, non pauperi, aut animæ.

Andreas Pauli fecit. — *Ioan Galle excudit.*

VANITAS. VERITAS.




Frequens comeßatio, Multiplex insania.

EMBLEMA 14.

Sæpe mihi, fateor, vesanus morio risum,
Dicta ubi contemplor factaque barda, movet.
Æqua comessantis tamen est dementia turbæ;
Scilicet ille nihil, quin agat ista, facit.

Multæ sunt et malæ fatuorum insaniæ; plures et pejores comessatorum. Morotrophium adi: mox inde cauponam pete, et clamabis, comeßatorum ebrietatem insaniam eße voluntariam.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*



EMBLEMA 15.

Quis furor? infami, demens, te stigmate jactas,
Quam dedit æternam culpa scelesta notam?
Parcius ista, precor. Scitâ dum veste superbis,
Quid nisi naturæ jam tibi stigma placet?

Gloria de vestibus, est gloria de stigmate: insolens tamē viget ubique vestiū studiū, insolens a capite ad pedes usque varietas: quin pretio certatur, et infame habetur, infamiâ hac non laborare.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*



EMBLEMA 16.

Tandem ſume cibos, jeiune Cÿlindre. Benignè:
Absque cibo ſaturum reddit inanis odor.
Troſſulus hic itidem, ſtomacho latrante, ſuavi,
Molliculus nares pascit odore ſuas.

Vt cocũ culinæ nidor inanijs; ita pascunt effeminatos odoramenta: ſed vanè magis, vitioſe et putidè; tabacũ preſertim. Modici odores, ſi adſint, non respuendi quidem illi; ſed Deo impensi laudabiles ſunt.

Andreas Pauli fecit. | *Ioan. Galle excudit.*

VANITAS VERITAS.



Dulcis ſymphonia. Prius fluit quàm fluit.

EMBLEMA 17.

Submergêre prius, quā ſcribas nomen in undis;
Nam rapidis iſtam fluctibus illa premit.
Tu modulis liquidum dementior aera cædis:
Dum ſonus alter adeſt, jam ſonus alter abIt.

Stultior eſt, qui muſicam perditè amat; quam qui aquis nomen inſcribere nititur. hic innoxie nugatur; illi deliciæ damnum adferunt: nec facilius in aëre ſoni; quam characteres in fluctibus coëxiſtunt.

Andreas Pauli fecit. *Ioan. Galle excudit.*



VANITAS. VERITAS.



Saltandi gratia.


A capite ad calcē te docet esse leuem.

EMBLEMA 18.

Mercurius nimiæ signum levitatis, in ipso
Qui pede, qui pennas vertice gestat, habet.
Sic tibi saltandi, quâ polles, gratia clamat,
Quod cerebrū et plantæ sint levitate pares.

Alæ Mercurium levem eße docent; sic et levem eße Troßulū docet saltandi gratia, et variæ saltationum species: quin genus ipsum ridiculū prorsus, periculosum, et parum honestum est.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*




EMBLEMA 19.

Obſtat longa quies, ne machina denotet horas:
Nî ruat usque veru, perditur igne caro.
Segnia, quisquis amat virtutes, otia vitet;
Scilicet hæc animis corporibusque nocent.

Vt in veru et horologio, ita in homine longa quies vitium eſt; mater omnis mali, quæ curas non tollit, ſed auget. nec ſomnus homini neceſſarius, nisi modicus. ſed nos abutimur omnibus.

Andreas Pauli fecit. — *Ioan Galle excudit.*



EMBLEMA 20.

Quid facis, infelix? curis sic pectora solvo.
Hac igitur causâ clepsydra fracta jacet?
Hoc damnum reparare queo: tu tempora lusu
Prodigis insanus, quæ reparare nequis.

Mala clepsydræ jactura; pejor temporis, quo nihil carius. illud otiosè nunc lusu terimus, quod saluti indultū, et postea requisitū, fors deerit. Lusores tamen tempori-perdæ de jactura ista gloriātur.

Andreas Pauli fecit.

Ioan Galle excudit.




EMBLEMA 21.

Accipis a cupido nummos, malesane, Danistâ:
Mœsta sed hi nummi jam tibi damna parant.
Sæpè favens tradit lusoribus alea lucrum:
Id tamen ingenti fœnore sæpe rapit.

Alea sicut usura, fallens, quod donat repetit cum fœnore: infelix etiam peritissimis perdit omnia: quin post animam, etiam Deum perdere nititur. multis vitijs obnoxia, divinis humanisq; legib. prohibita.

Andreas Pauli fecit. Ioan Galle excudit.



EMBLEMA 22.

Indomitis quæcumque ratis jactatur in undis,
Vectori intrepido mille pericla movet:
Sic generoſus equus camposq; hinnitibus implens,
Sæpè probro dominis exitioque fuit.

Omnis navis periculoſa eſt, et equus omnis. cujus cujas ſit, nec vitio caret nec periculo. quin equitatio ipſa periculoſa. chari tamẽ ſunt equi et cari, etiam ad amentiã uſque, et quaſi idololatriam.

Andreas Pauli fecit.

Ioan Galle excudit.

VANITAS. VERITAS.




Venandi studium. Dum captat capitur.

EMBLEMA 23.

Præda fit ipse suæ prædæ, per littora reptans,
Ostrea dum chelis cancer aperta rapit.
Tu quoque, Venator, miserandi Actæonis instar,
Fis fera, quin canibus fis nova præda tuis.

Venator, ut cancer, prædo et præda: Actæoni non absimilis. vanus est illius labor et noxius famæ, quam infuscat; corpori quod debilitat; tempori, quod perdit; censui, quem prodigit; menti, quā premit: quasi feram inter feras induens.

Andreas Pauli fecit. Ioan. Galle excudit



EMBLEMA 24.

Quidquid habes pomo debes, vilissime vermis:
Hoc ingratè tamen dilacerare soles.
Munifico famulus domino sic perfidus usque
Dente, manu, linguâ, proditione nocet.

Servi Dominum, ut vermes pomum, in se maximè beneficũ destruunt. perdunt omnia, prodigunt, arrodunt, pejores hostibus. initio ad quævis prompti, postea ad nihil, et tamen ipsi nos perdimus, ut illos alamus.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*

VANITAS. VERITAS.



Bonus Dominus, Modesta molestia.

EMBLEMA 25.

Vis podagræ aut febris quemquā magis urat; ephebū
Non tamen hunc scabies absq; dolore sinit.
Hos gravius domini divexent, mitius illos:
Qui domino servit, liber is esse nequit.

Hunc ephebum minus torquet scabies, quā alium febris aut chiragra; torquet tamen: sic bonus Dominus molestus est, etsi minus quam malus: quia se suaque servo eripit et libertatem, summum hominis bonum tollit.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit*

VANITAS VERITAS.



Tituli varii, Inania nomina.

EMBLEMA 26.

Et vanos titulos hæ chartæ et ludicra regni
Munera diſtribuunt, quæ breve tempus habent.
Sic decoris magni laudes, tituloſq; ſuperbos,
Nomina mors tandem vana fuiſse docet.

Regales ſcedulæ inania ſunt nomina: quia ludicras et breves dignitates denotant: ſic omnes ſive animi ſive fortunæ tituli; quia breves et quasi ludicros honores deſignant et vanos: qui nec dominiū ullum conferunt, nec aptitudinē.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*

VANITAS. VERITAS.




Divitiæ, Malum necessarium.

EMBLEMA 27.

Quo genus haudquaquam poßit mortale carere,
Femina iam paßim dicitur esse malum.
Nec tamen ipse cadam causâ, si iudice quovis,
Hoc ego divitias nomen habere velim.

Mulier est malum necessarium; sic et pecunia malum, omne malum complectens, et possessorẽ suum excæcans. hinc divitijs a vitijs nomen: et merito; quia his offendimus Deũ, proximos, nos ipsos: et necess.rie sunt.

Andreas Pauli fecit. *Ioan: Galle excudit.*




EMBLEMA 28.

Magnificâ clausis tenebrosi carceris arce
Sunt loca lata satis, si modò læta satis.
Securam haud reddunt excelsa palatia mentem,
Quam tribuunt humilis limina sæpè casæ.

Vt carcer quilibet satis latus, sed non satis lætus: ita quævis domus satis lata, quia et tumulus sufficit; sed non sat læta, quia nec palatia ipsa miserias excludunt: maxima enĩ domus maximis est obnoxia periculis sumptib' et curis.

Andreas Pauli fecit.

Ioan Galle excudit.



EMBLEMA 29.

Euclio mendaci nummorum fœnore gaudet,
Quos varium fingit tuber adeſſe vitri.
Nos quoque delectant pictæ mendacia formæ;
Quo melius fallit, plus habet artis opus.

Vt avaro gratũ eſt vitri polygoni mendaciũ: ita picturæ ſtudioſo naturæ mendaciũ; eò magis quò magis imponit. hoc gratas reddit omnes veterũ picturas et recentiorum nec errorẽ hunc vel tempus vel auctor excuſat.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*




EMBLEMA 30.

Bractea, quæ decorat variata coloribus escas,
Lumina sola juvat, nil habet inde fames.
Sic oculos pascet congestis undique libris,
Nil tibi doctrinæ bibliotheca dabit.

Epulæ pictæ visui sunt non usui, quales quondã Heliogabali: sic insolens bibliotheca fastidio et cruci potius est, quã usui: quia librorũ multitudo necessario studij nauseã, memoriæ confusionem, et ignorantiã parit, nõ doctrinã.

Andreas Pauli fecit. — *Joan Galle excudit*






EMBLEMA 31.

Papilio ambuſtus ſubitò execratur et odit,
Quam prius obvolitans visus amare, facem.
Qui tibi blanditur, qui te colit, inſtar amici,
Si vultu aut verbo læſeris, hoſtis erit.

Vt cereo nimiũ amicus papilio, mox hoſtis fit; ita homini homo. vix unũ aliquis amicum aſsiduũ habet et conſtantem; cum ob rationẽ amicitiæ initæ, tum ob varietatẽ fortunæ, tum ob libertatẽ correptionis, ac ipſũ amicitiæ ſtudiũ.

Andreas Pauli fecit. — *Ioan. Galle excudit.*

VANITAS — VERITAS.




Optata vindicta. — Perit, ut perdat.

EMBLEMA 32.

Fragminibus ferri, nitrato et pulvere fœtus,
Ut pereant hostes, rumpitur, ecce, globus.
Vindice sic animum qui pœnâ explere laborat,
Hostibus ut noceat, plus nocet ipse sibi.

Vltor perit, ut perimat; bombo, apibus, et muro ruenti [illegible] fortunis hominē et mente privat ultio; brutis pejorem reddit, perdit corpus et animam: rationi, honesto et utili repugnat, et pœnitudini obnoxia est.

Andreas Pauli fecit. — *Ioan Galle excudit.*



EMBLEMA 33.


Degener, inſanas audes attollere criſtas,
Quod celebri natum contigit esse patre?
Adſpice, fumoſus piceâ caligine cælum
Qui tegit, hic rutilo naſcitur igne, vapor.

Si ex claro igne fumus obſcurus naſcitur, multò facilius ex claro patre obſcurus et degener filius, juxta experientiam. et ſanè ſi degeneres filios experta eſt adoptio: quidni nativitas? imò parentū claritas obſcuros reddit filios.

Andreas Pauli fecit.

Ioan Galle excudit.

VANITAS. VERITAS.



Frequens frater et ſoror, Rara concordia.

EMBLEMA 34.

Nullam alij ſimilem, naſi variante figurâ,
Tot facies inter picta tabella refert.
Ut ſimiles vultu, ſic fratres atque ſorores,
Concordes animo, vix reperire datur.

Omnes prolem deſiderant, quia proles quaſi rediuiuus parentum vultus. ſed ut nulli vultus formâ, ſic nullæ proles naturâ planè ſimiles. tot fratrũ diſcordiæ id docent. nã vera fratrũ ſororumq; concordia aut rara, aut nulla.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*

VANITAS. VERITAS.



Vagus amor Amplexu enecat.

EMBLEMA 35.

En hedera infami complectitur omnia nodo,
Queìs tamen amplexu perniciosa nocet.
Sic effrænus amor, furtis dum gaudia spondet,
Tum bona crudeli sub pede cuncta premit.

Vagus amor hederæ similis in multis, maximè quod amplexu omnia vitiat: sic vaga libido perdit omnia bona, fortunæ, animæ, corporis, nam opes decoquit; mentẽ a Deo, velut idolũ, avocat; vires a debilitatas exhaurit.

Andreas Pauli fecit. Ioan. Galle excudit.



EMBLEMA 36.


Quid video? ægroto ut tradas absinthia gnato,
Ambrosio, genitrix, pharmaca melle tegis?
Haud equidem mirum: vario sic nempe maritũ
Obsequio, alternis dulcis amara foves.

Vt conditũ saccharo semen Zedoar dulcis amaror est: ita viro uxor qualisqualis sit, partim dulcis partim amara est. Nullum dulcius matrimonio B. Virginis et S. Iosephi. et tamen quã Iosepho in principio amarum fuit?

Andreas Pauli fecit.

Ioan' Galle excudit.

VANITAS. VERITAS.



Filia formosa. Bonum fragile.

EMBLEMA 37.

Forma bonum fragile est: multis, vigilate parentes,
Si placeat gnatæ forma decora procis.
Vitrea perpetuis vix serves pocula curis:
Sed magis est fragilis pulcra puella vitro.

Nihil vitro fragilius; nihil item filiâ, præsertim formosâ: quia forma nam fragium est; tyrannis, quæ alios persequens seipsâ prodit; regnum malè custoditum, quod omnes omnibus modis ambiunt: dum interim voluntariè ruit femina.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*

VANITAS. VERITAS.



Filia nupta.

Augetur minuendo malum


EMBLEMA 38.

Connubio gnatam junxisti? cura maritum
Si qua manet, gravius macerat illa patrē.
Sic ubi verrucam tollis, qui vulnere manat
Vnius, innumeras mox tibi ſanguis alet.

Si verrucam e manu tollis, ſanguis unius plurium ſemen eſt: ſic dum pater filiam viro elocat, laborem ſibi metumq; ſeminat, maximè ſi ipſa moritur, aut maritus. multò enim curarum fecundius eſt virginitate connubium.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*

VANITAS. VERITAS.



Nepotum copia. Incertũ ſolamen, et certus labor.

EMBLEMA 39.

Nil medicum certi ſpondet ſolaminis ulcus,
Sed pariet certi grande laboris onus.
Sic nimis incertum ſolamen, magna nepotum
Copia, ſed certus perpetuusque labor.

Vt canterium incertum ſolamen eſt, et certus labor: ſic frequens nepos frequens labor et cura, ſed incertum ſolamen. a morbis, a nutricibus, à custode junioribꝰ timet nepotibꝰ avus; a conſortio vitijsq; jam adoleſcentibꝰ.

Andreas Pauli fecit. Ioan Galle excudit.



EMBLEMA 40.

Nullius equûm domitor frænatũ cogat asellũ
Tollere, vel certâ ponere lege, pedem.
Nil præcepta iuvant, nil præstans arte magister,
Ingenii dives nî tibi vena fluat.

Vt non arguit doctus equiso doctum asinum; sic nec insignis magister insignẽ discipulum: quia nihil cura, sine natura. ingenium, non mortalis industriæ fructus est, sed dos naturæ. et bonus magister malo discipulo infamiæ est.

Andreas Pauli fecit.

Ioan Galle excudit.




EMBLEMA 41.

Quid veluti Enceladus quisquã, Pÿgmæe, superbis?
Stes licet Atlantis vertice, nanus eris.
Et tu, stulte cliens, magno ceu monte, patrono
Niteris: at nanum te magis ille probat.

Quò Pygmæus majori in monte consistit, et cliens majori patrono nititur, eò minor apparet. minimus hominũ maximo suppedaneo indiget. quid quod parit vertiginẽ et lapsũ sublimitas? quia fastidiosæ magnatum amicitiæ, et æmulis obnoxiæ.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*

VANITAS. VERITAS.



Nova dignitas.

Ascensus iste, descensus est.


EMBLEMA 42

Ecce rotâ, et trochleis quas machina tollit in altũ,
Ardua per montis præcipitabit, aquas.
Sic ubi sublimi fueris decoratus honore,
Præcipitem sortis, vel tua, culpa dabit.

Machina Augustana magno molimine aquã ex humili in sublime tollit, ut repẽte præcipitet: sic nova dignitas hominẽ è vulgo, labore non exiguo, evehit, ut mox deturbetur, vitio vel alieno; vel suo, vel etiã fortunæ culpâ, quæ ludum hunc amat.

Andreas Pauli fecit.

Ioan. Galle excudit.



EMBLEMA 43.

Deſervire alijs ſolet, et conſumere ſeſe
Lumine fax rutilans, atque calore focus.
Sic nocet ipſe ſibi, regni dum commoda quærit,
Quem labor imperij, curaque tota premit.

Vt fax et focus, dum alijs lucendo ſimul et ardendo proſunt, ſibi officiunt: ſic Imperator lucendo alijs per benevolentiæ radios, ſibi nocet, invidiā ſuorū et odiū metuens, quibus prodeſſe ſtudet: et ardendo alijs, ipſe conſumitur.

Andreas Pauli fecit.

Ioan Galle excudit.




EMBLEMA 44.

Tollitur hic rhombus moderato ad ſidera vento;
Frangitur immodico, deficiente cadit.
Hæc manet ingentẽ fortuna per æquora claſsẽ,
Dum ſubit arbitrium ludibriumque noti.

Puer rhumbũ in aëre; Rex claſsẽ in æquore vento credit. utrumq; magno molimine ventus in altum ſubvehit, et nullo mox negotio præcipitat. utrumq; modicus auræ ſibilus animat; immodicus aut nullus exanimat.

Andreas Pauli fecit.

Ioan Galle excudit.



ÆMBLEMA 45.

Gaudia quis carpat, per rura, per oppida, triſti
Omnia dum ſterni peſte repente videt?
Deſtruit armatus plures exercitus urbes:
Regibus ille tamen creditur una ſalus.

Inſanum eſt, de numeroſo exercitu gloriari. ut peſtis omnia deſtruit; ſic numeroſus exercitus. peſtis multas urbes et gentes depopulata eſt; plures exercitꝰ quin: etiã peſtis damna, belli damna ſunt. fames enim et peſtis Martẽ ſequuntur.

Andreas Pauli fecit.

Ioan Galle excudit.




EMBLEMA 46.

Illa tumens furto movit cornicula risum,
Quæque suas plumas dum repetebat avis.
Quæ celebri regem decorat victoria palmâ,
Militis intrepidi parta labore venit.

Alienis plumis gloriatur Horatij cornicula; alienâ laude victor. Victoria, si arte parta, multū ad alios pertinet, nihil ad victorem. sic etiā si Marte, nihil ad victorē, sed plurimū ad militē et fortunā, quæ maximā partē sibi vendicat.

Andreas Pauli fecit. — *Ioan Galle excudit.*



EMBLEMA 47.

Quàm brevis est usus subtili hæc stamine byssus,
Quæ fuit immensi triste laboris opus!
Si tibi post multos votorum est summa labores,
Exigui totum temporis illud erit.

Vt tenuissimi staminis carbasus immensi laboris opus est, usus exigui et brevis: ita quod huc usq; prosecutus es votũ, neq; adhuc forte assecutus, totius vitæ sudor est; quis scit, an unius horulæ fructus? quia nulla in reb' omnib' constãtia.

Andreas Pauli fecit.

Ioan Galle excudit.

VANITAS VERITAS




Flos vitæ. Defluit ultrò.

EMBLEMA 48.

Ne viridi nimiùm placeas tibi flore juventæ,
Et celeri et tacito præterit illa pede.
Sic quæ Vere novo ridebat floribus arbor,
Deciduis ultrò floribus, ecce, caret.

Flos vitæ, ut flos arboris, defluit ultrò, non itē fructus. citius perit adolescētia, quam maturior ætas. mors illi vicina est, etsi remota videatur. plures macello vituli, quā boves mactantur. Et senū raritas, adolescentiæ crebrius morietis signū est.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*



EMBLEMA 49.

Cynthia dum pleno coniunxit cornua vultu,
Occipit intêgri damna ſubire globi.
Haud ſecus hæc ætas, quæ dicitur integra, vitæ,
Carpitur aßiduè, deminuitque dies.

Ætas integra aut plena minus dici poteſt, quā Luna quia ſemper illi aliquid deeſt, propter aßiduam temporis inconſtantiam, cujus nulla pars ita præſens deſignari poteſt ut ipſius initium non ſit finis præteriti, et finis initium futuri.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*




EMBLEMA 50.

Ecce reos capitis: sorte est pejore superstes;
Cum nece deterior sit timor ipse necis.
Quot juvenum mortes spectat longæva senectus,
Tot sibi de certâ morte pericla timet.

Vti duos inter reos infelicior est is, qui diutius superstes; ita defuncto juvene longævus senex. quia mortis timor pejor morte, quā semper spectat, et exspectat; nec evadere potest, sicut potest reus: et quia senectus, imo ipsa vita, miseria est.

Andreas Pauli fecit. *Ioan Galle excudit.*



EPILOGVS 51.

En trahit ad sanctum, Iudex supreme, Tribunal
Hîc Vanitatem Veritas Falsi ream.
Tot mala jam pridem toto molitur in orbe,
Inire numerũ criminum ut nullus queat.
Exsilio dignam multa, vel carcere frena,
Vel diro Averni pessimam addicas rogo.
At quibus imposuit fucatâ fronte, doloque;
His parce, Christe, Matris ob castæ preces.
Et veniam lapsis tu, Virgo puerpera, posce:
Nihil petenti Filius Matri negat.

Andreas Pauli fecit. — Ioan Galle excudit.

'86 UUNN

cull cpt6 UA

With engr. title,
(II) 51 leaves.
With 51 emblems
Praz: 293; Landwehr 74.

